DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII XXIII. FEBRVARII.

M. PETRO POVRRET Doctore Medico, Præside.

Est ne Mulierum semen infœcundum?

COMMVNIS omnium parens Natura, erudita, provida & sagax, à nullo licet edocta, omnibus omnia liberalissimè suppeditans, ubique quod est melius operatur quantum potest. Vt autem esse quàm non esse, sic ævo sempiterno perfrui, quàm præfinitâ vitæ periodo coërceri præstabilius. Verùm cum individui perennitate gloriari nequeat, quandoquidem mille moriendi vias fata invenêre, ne simul cum Socrate periret homo, miro artificio adinvenit sexum, quo in demortui animalis locum aliud novum sufficeret jucundo marium atque fœminarum amplexu. Sic vivit pater in filio, neque moritur qui vivam sui relinquit imaginem. Sol & homo generantne hominem? At certè mas & fœmina, speciei propagatione æternitatis avidi, coëuntes animal generant. Fœmina in se, mas in fœmina. Ab utroque manat principium, quamvis dissimile. Fœmina παθητικὴν, mas ποιητικὴν ἀρχὴν largitur semen emittendo prolificum, quod nihil aliud est quàm corpus humidum, spumosum, album & crassum, ex sanguinis, & puriorum spirituum permistione vi solâ testium fœcundorum excoctum & exquisitè elaboratum ad perfectam animalium generationem. Errant proinde qui à toto corpore, vel à medulla spinali, vel aliunde derivant. Et qui alimentum corporis, aut colliquamentum, aut partem statuunt. Non qui utile censent excrementum. Dum enim attractricis operâ facultatis testes (partes dubio procul nobiles, corde ipso, licet sanguinis & vitæ fonte, præstantiores) sanguinem copiosiorem alliciunt per vasa spermatica admirabili implicatione vitium Capreolis, hederæve æmula, ut in hac viarum perplexitate labyrinthea dealbetur sanguis, atque seminis coloribus adumbretur, non tam insitâ vasorum vi quàm per ἐπιῤῥοὴν testium, quod ipsis ab alimonia superfluum est atque inutile fit ad speciei conservationem utile & fœcundum semen. Cujus Natura intendit marem gignere, simili planè ratione, ac omne agens sibi perfectè similem intendit producere effectum.

SED cùm vis activa seminis maris debilior est, conatur quidem dilatare, insufflare, extendere, siccare, roborare, ac tandem acervato spiritus generantis impetu usa partes generatrici famulantes potentiæ foras propellere. Verùm præ imbecillitate ipsum quod moliebatur opus imperfectum relinquendo, maris loco fœminam generat. Quemadmodum profectò circa totum talparum genus apparet, quibus lineamenta quidem oculorum intus expressa sunt, Verùm foras erumpere non potuerunt ob effœtas infirmioris naturæ vires an ideò fœminam agentis παρέκβασιν ἢ ἄῤῥεν πεπηρωμένον naturæ genius appellavit. Hinc appositè omnino mulieres censentur frigidæ, humidæ & imbecillæ, Si enim spectemus generationis primordia, cum orta redoleant naturam principiorum è quibus fluxerunt. Illæ non ex præpotenti, sed ex debili, frigido quippe & humido marium procreantur semine. In sinistris, & è sinistris magis generantur partibus. Vt dextrum testem meritò quis nuncupet ἀῤῥενογόνον, sinistrum θηλυγόνον. Tardiùs conformantur, atque moventur, brevioris vitæ sunt. Æstate magis quàm hyeme ad Venerem proclives. Ambidextræ non fiunt. Ab eorum partu lochia longiori tempore repurgantur. Quid plura? nonne parentum infirmiorum, aquæ potatorum, seniorum atque juniorum fœminea proles frequentior? Mulierem decebat corpus molle, laxum, præpingue, glabrum, & politum, humidioribus uti alimentis, vitam inertem & otiosam degere sub tecto, ut commodiùs fœtum sustentaret, marem oblectaret, reficeretque externis fatigatum laboribus. Quam sane totius corporis constitutionem frigidam & humidam obtinere consentaneum fuit, utpote quæ omnium maximè foret sanguini cumulando accommodata ut ipsi necessaria suppeteret alimenti ubertas, quæ sine corporis dispendio fœtui formando, nutriendoque sufficeret. Ideoque imbecilliori mulieris naturæ tribuenda superflui utilitas sanguinis.

MAXIMAM mulieri faceret injuriam qui inde monstrum esse colligeret. Altera est humani generis pars, tota venustatis, & gratiarum leporibus consita. Vtilissima ad perficiendum mirabile generationis opus, perfectumque in suo genere animal, eoque majori curâ & studio universali naturæ, quæ à supremo rerum omnium Authore dirigitur, procurandum, quò plurimum confert, non ad decus tantùm universi, cujus ipsa, citra omnem adulationem venustas est, & ad jucundissimam maribus vitæ societatem, sed & ad æternitatem speciei cujus ipsa summè est appetens: nempe nec omninò forte mulier nascitur, aut præter intentionem naturæ utrumque sexum facere cupientis; quæ etenim sexu distinguntur non ideò specie, sed membrorum genitalium structurâ, quorum varietas ad perfectorum animalium perennitatem convenientissima. Ita si quidem non aliter decebat mulierem fabricari, ut esset apta ad concipiendum, gestandum, nutriendumque menstruo recremento in utero fœtum, & extra uterum lactis seu mammarum beneficio: Quæ soli mulieri concessæ non ornandi tantùm pectoris, sed liberorum potissimùm alendorum causâ: Recens quippe natis notum & familiarem victum offert, alio quocunque præstantiorem. Hæc ideò in se uterum continet divinam propemodum favillam, ex qua naturæ thesauri conditi depromuntur, uberrimum fœturæ seminarium, hortumque feracissimum, in quo stupendum formationis opus natura solerti industria perficit, postquam in eum veluti campum incruentique martis arenam parentum semina suis pugnatura viribus æquis quandoque, plerumque disparibus, descenderunt, pacis vinculo ad extremum socianda. Hinc motus maris agit pro sua forma, si superet facit marem, si superetur fœminam, ex æquali verò pugnâ prodeunt Ἑρμαφρόδιτοι utriusque sexus participes. Fabulas narrant qui fœminas in mares immutato sexu transiisse, & molam sine viri consuetudine in utero muliebri conceptam esse scribunt, cùm formationis omne principium à virili semine prodire cuilibet sedulò contemplanti pateat.

FOEMINAM principium ad recipiendum comparatum ab agente eodem ferè modô videtur sejunxisse hæc summi rerum opificis imago in suorum operum structura; ac Deus Optimus Maximus Cælum efficientem rerum omnium causam, à terra earumdem matre discrevit, imò plantas in quibus mixta hæc duo videntur esse principia, confusique sexus, terræ visceribus tanquam vasto quodam utero concludi necesse est, ut in ipsis agentium patientiumque causarum fiat tum exporrectio, tum secretio ad proferendam plantam necessaria. Et in ovis germen seu maris semen efficienti potestate partes pulli adornans, perficiensque, agentis causæ rationem habet, candidum patientis causæ dispositionibus instruitur, luteum menstrui sanguinis vice fungitur, horumque omnium principiorum opera intra ovi pelliculas tanquam in quodam utero celebrantur. In mare calidiori & sicciori nullæ sanguinis reliquiæ exuperant à quibus injecta conceptaque nutriri possint semina. Fœminam igitur constitui fuit necessarium, quæ frigidiori & humidiori temperamento sanguinem exhaurire non valens, ipsius reliquias (solâ quantitate superfluas) alioquin singulis mensibus per uterum in sanis excludendas, in eumdem derivaret, ubi reseratis vasorum osculis stillat guttatim, fœtus parenchymata componens, inchoatis solidarum partium filamentis, & ubertim alimentum toto gestationis tempore suppeditans. Quin etiam seminalem quemdam humorem effundit mulier: Ex quo tanquam præparatâ idoneâ materiâ solida partium ducuntur stamina, hunc tamen vi activâ seu prolificâ destitutum judicabit quicumque noverit eumdem frigidum, aqueum, impurum, & incoctum, simulque organa generationi dicata attentè lustrarit. Quæ non solum situ quod intus, sed etiam numero, temperie & conformatione à maribus longo intervallo discrepant. Manca quippe sunt, frigida, exigua, debilia. Testes fateor habent. Sed quos & quales? præ pudore latent. tangentis eludunt digitos, nullo varicoso semen marium mirè excoquente obvolvuntur corpore, aquoso duntaxat replentur humore, qui corporis humani structuræ moderari, & virtute fœcundâ illud condere nequit. Etenim semen fœcundum sic debet spirituosæ & crassæ substantiæ per fusionem amplexari, ut spiritus crassamento seminis irretiti coërceantur, ne in vapores abeant, & spirituosa substantia ita crassam permeare, ut nulla supersit particula quæ à spiritibus impellatur: Vt semen fœcundum lactis coagulo conferri possit. Id opus natura commodè tantum in amplis, validis atque spongiosis testium maris anfractibus exequitur. Vbi nexu indissolubili spirituum puriorum & seminis crassamenti celebratur temperatio, seri beneficio quod glandulosi testes exhauriunt, idque salso spiritu fœcunditatis opifice aspergitur.

FOECVNDITATIS author spiritus genitor. Quo nobilis, & planè diuina fœtus humani architectrix tamquam idoneo & accommodato utitur opifice & pictore ad singularum partium delineationem rudi primùm penicillo exarandam, mox vario pigmentorum genere adornandam & perficiendam. Præstantior est, elemento stellarum proportione respondens, quam ut ubique suam habeat φυλακὴν. Non ex omni ligno fit mercurius. Nec omnis fert omnia tellus. Fluminibus salices crassisque paludibus alni. Nunquam in muliebri reperitur semine, utpote crudo, tenui, aqueo, & impuro, ac proinde infœcundo. Quin nec in maris semine valde imbecillo ideóque sterili. Sed duntaxat fœcundat semen maris calidum, humidum, crassum, spumosum, album, puriorúmque spirituum copiâ turgens: Idque celeriter in vterum bene affectum effundi debet, vt si longior sit penis refrigescat & infœcundum reddatur, quemadmodum si aëri exponatur vel aquæ immergatur, quicquid obganniant adulatores mulierum, quæ in balneo, ab attracto semine viri innatante, concepisse falsò dicuntur. Absit vt nobilis ille maris Genitor spiritus per totam seminis utriusque molem discurrens in operis societatem debilem calorem, imbelles, & futiles admittat spiritus muliebris vix conservatores materiæ, ne gravi fœminarum incommodo putrescat, Hystericarum exemplo, Et exiguæ vix authores voluptatis, ne plenum consilij & rationis animal turpem adeò fœdamque συζυγίαν cane peius & angue odisset. Quippè necessum erat partes muliebres quibusdam voluptatis illecebris perfundi; quibus delusa mulier dolores quos in primo coïtu sed graviores in partu percipit, despiceret. Imò cum semen maris ad fundum uteri illapsum totum illinire non possit, utpote qui exortus utrinque veluti cornua haberet, hæc sane fœmineo semine illevit natura. Cum igitur, sub idem tempus, an simul parum refert, cum mare fœmina semen emiserit, muliebre per utrumque ejectum cornu simul oblinit vias, & partes titillat, unaque cum semine maris miscetur, ut sit veluti alimentum quoddam: tenuius enim cum sit & frigidius, familiarius est omni alio ad ipsius nutritionem & contemperationem, simulque idoneam ministrat materiam? Tantæ molis erat humanum condere fœtum. Quem nasci matri similem quandoque norunt vel tonsores, ubi motus matris superat, eaque adest in muliebri semine contumacia, quam nequit omninò vincere genitor spiritus, si non sexus speciei saltem inurens similitudinem. Hinc quoque pendent laudabiles mulierum constitutiones, & hæreditario quodam iure transfusæ διαθέσεις nisi vincat mas, qui solus prolificum emittit semen, siue genitorem spiritum, qui uteri calore blando, ac temperie moderatâ adiutus depromit latentes, atque consopitas conformandi animandíque fœtus vires, donec partium omnium accurata τύπωσις vivensque tandem aliquando erumpat, quod prius in semine velut in glande quercus, & pullus in ovo latuerat.

Ergo Mulierum semen infœcundum.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Quartier.	*M. Daniel Arbinet.*	*M. Philibertus Morisset Decanus.*
M. Franciscus Landrieu.	*M. Franciscus Lopes.*	*M. Hermannus de Launay.*
M. Antonius de Sartes.	*M. Carolus Baralis Schol. Profess. Med. Reg.*	*M. Philippus Harduin de S Iacques.*

Proponebat Lutetiæ IACOBVS BOVIONIER Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LXI.